



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Magistris. Consilium DLXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Quæ consideratio discriminis inter delatam & deferendam hæc redditatem resolvit quoque aliqua ex parte tertii articuli difficultatem; quia futura successione renuntiatio semper difficilis est; contra facilis illius, quæ delata est, *2. Affus & alij in l. Hoc iure De verb. oblig.* * Nec fietiam de delatâ propositum dubium intelligatur, insinuationis consideratio, huic hypothefi congruit: quia non ex mera donatione illa proficiscitur; sed, ut sæpe diximus, aliâ causâ, ex antecedente scilicet patris dispositione ac ordinatione. Cum alioqui ulus insinuationis hodiernis moribus in defuetudinem abierit, nec in his regionibus frequentur; & secundum terminos juris communis obtineat in formali donatione, non in liberatione ac renuntiatione ex iustâ causâ, *Ang. Arer. in §. alie autem vers. quid si remitto Inst. De donat.* * Et denique quod questio, an iuramentum non tollat necessitatem insinuationis, apud Interpretes controvertissimâ sit, *Ang. in d. §. alie autem, vers. quaritur in fine,* & in utramque partem pares ferè assertores habeat; & illorum, quod tollat, numerus major sit ex suffragiis Canonistarum eis accedentium, in c. *Cum contingat De iureiurando.* Per quæ existimamus propositis dubiis satisfactum; in quorum ampliore exactioreque resolutione per valetudinem & morbum ampliorem operam ponere non potuimus; nec ut poneremus anxie solliciti fuimus, quod causa verteretur in manibus iure peritissimorum virorum.

De Magistris.

S V M M A R I U M.

Absentia à loco studij.

1. *Matricula amittitur absentia quinquennali.*
2. 7. *Absentia à loco studij an arguat animum non revertendi, nulla interposita protestatione.*
3. *Privilegia studiorum non requirere matriculationem.*
4. *Exceptio de iure fisci non admittitur.*
5. *Absentia involuntaria non nocet.*
6. *Absens quando pro presente habeatur.*
8. *Animus non revertendi præsumi non potest quando notorium subest impedimentum.*

CONSILIUM DLXVIII

Nihil est, quod in hac causâ M. Guilielmi Bodart Impetrantis, contra Dominos Decanum & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Dionantensis Opponentibus non fecerit controversum, Advocati seu Procuratoris Opponentium vel temeraria negatio, vel involuta minimeque expedita responsio, in re tamen omnino manifesta; ut Impetranti necessarium fuerit ad singula ferè Domini Iudicis decretum obtinere; & cum temporis majore dispendio terminorumque multiplicatione hanc litem protrahere; * eoque tandem causam redigere, ut de eo solo nunc supersit questio per decretum seu sententiam Iudicis decidenda, an Impetranti denegari debeat vel possit usus privilegij de percipiendis fructibus sui Canonatus in dictâ Ecclesiâ; ex eo, quod post absentiam quinquennalem à recessu suo ab Universitate Lovaniensi, Lovanium ad studium reversus, iterum matriculæ ejusdem Universitatis inscriptus non sit?

Questionis hujus & oppositionis probabilitatem facit primum dictâ Universitatis allegatum (quamvis tamen non probatum) statutum, quo cautum dicitur, quod Scholares revertentes post quinquennalem absentiam, non aliter pro suppositis agnoscat Universitas, quàm si per Rectorem & ordinarios deputatos super causis redditus & aliis opportunis fuerint debite examinati & juramento præstito ac juribus solutis iterum intitulati: eoque statuto cessante ex juris communis dispositione sustinetur per absentiam quinquennalem cujusvis matriculæ, & ex matricula dependentis privilegij usus, fructus, & effectus perire, extingui, & amitti. Quod etsi specialiter de quibusdam officiis, muneribus, & honoribus, non in universum de quibuscumque matriculatis ullo jure cautum invenitur, sed dumtaxat in specie de matricula primiceriorum, l. 2. *vers. qui vero per quinquennium C. De primicerio lib. 12. domesticorum, l. 3. vers. quinquennio autem C. De domesticis, lib. 12. aliorumque Palatinorum Comitum domus Imperatoriæ, l. 2. & 3. C. De comitatu lib. 12.* in quibus specialis ratio assidui ministerii tantam absentiam difficilior ac mittit, & diu vagandi facultatem non permittit, d. l. 3. & ibi Ioan. de Placeta: ex interpretatione tamen, & per extensionem specialiter id quoque Bartolus, *consil. 134. Universitatis statuto vol. 1. & in l. Ex eo, De milit. testam. & Bartolus sequenti Paulus Castrensis, in l. Filio quem nu. 5. De l. b. & posthumis, & alij plerique omnes, in d. l. Ex eo, & in l. Scribarios C. De milit. testam. Alex. consil. 54. Viso puncto. vol. 4. accommodant Scholaribus & privilegiis Scholarium. Imò Ludovicus Romanus cuicumque cujuscumque privilegiatæ conditionis matriculæ, *singul. 233. Matricula extinguitur; ut generaliter quæcumque matricula per absentiam quinquennalem extingatur & pereat; nec restitatur nisi novâ immatriculatione sequat, Castrensis d. nu. 5. quasi per tam diuturnum discessum sublato omni prioris scholaritatis effectum, Alex. d. consil. 54.**

Quod pertinet quod eleganter scribit Baldus, *consil. 250. In questione Domini Nicolai n. 13. vol. 1.* quod hujusmodi quinquennalis absentia sit quædam dematriculatio, per quam privilegium matriculæ tollitur. Qui enim tanto tempore continuò abest, manifestè censetur deposuisse animum revertendi, l. *Naturalem §. pavonum de acquir. rer. dom. Bartol. d. consil. 134.* Cum itaque ex confessione Impetrantis constet, eundem Impetrantem in principio mensis Februarii anno septuagesimo octavo discessisse, & primum sub finem ætatis anni octuagesimi quarti, & sic post lapsum sexennii ad studia Lovanium reversum fuisse, expeditum Opponentibus videtur, Impetranti denegare usum privilegiorum scholaribus beneficiatis in dictâ Universitate Lovaniensi studentibus competentium; velut ex defectu requisitæ qualitatis, hoc est, scholaritatis, quæ sine descriptione in matricula adesse non videtur, l. 1. & 2. C. De commercijs, l. *Matriculam C. De agent. in reb. lib. 12. Paulus Paris. consil. 159. An statutum nu. 7. vol. 4.*

Speciosa sunt quidem hæc in aspectu pro Opponentibus, sed propius expensa & discussa intentioni Impetrantis non posse nocereprehenduntur. **Ex**

tur. Et in primis quidem ex eo, quod Martini Papa Quinti, & Eugenii Quarti de hac fraternum in absentia perceptione privilegia & indulta per Opponentis satis tandem recognita indeterminata, generaliter, & effuso sermone sint concessa scholaribus, tam secularibus quam regularibus, in dicta Univeritate in quacumque licita Facultate degentibus, aut alias literarum studio inibi quomodolibet insistentibus, nulla prorsus facta mentione aut requisita ulterioris huius qualitatibus alicujus matriculae aut immatriculationis: sic quod in proposito, ad obtinendum usum & effectum huius privilegii, praefato Impetranti sufficere debeat, quod tempore, pro quo contendit gaudere hoc privilegio, fuerit in dicta Univeritate scholaris, studio licitarum Facultatum utriusque juris insitens, ut comprobavit duplici testimonio Bedelli dictarum Facultatum per Opponentium Procuratorem recognito. Ita ut cum verba dictorum indultorum per omnia conveniant huic Impetranti, ex sola etiam qualitate insistentiae in licita Facultate seu studio literarum, merito quoque illi adaptari possit, l. 4. §. totius De damno infecto & ibi post, nec absurda videri debeat interpretatio, cui verba dispositionis per omnia congruunt, l. Quod constitutum De milit. testam. Sic quod in omnem eventum Impetranti fraudi esse non debeat ad usum huius privilegii, quod reintitulatus non fuerit: cum indulta hac Papalia matriculae aut immatriculationis, intitulationis, seu reintitulationis nullam mentionem faciant, nec eam qualitatem in scholari requirant; contenta sola scholartate per insistentiam in studio literarum.

4 Et quod extra tenorem & contextum dictorum indultorum ex statuto Universtitatis adfertur de reintitulatione post absentiam quinquennalem, ne Universtitas illos nisi reintitulatos pro suppositis habeat vel agnoscat, nihil aliud in effectu est, quam exceptio de jure fisci; hoc est burfali lucro seu damno Universtitatis seu avarii illius, quod per omnem talem reintitulationem fraudatur. Iam vero de jure fisci nemo tertius, & minime privatus excipiens auditur, l. his consequenter §. 1. & ibi gloss. in verb. non pertinere in fine d. Famil. eriscum. Oldardus consil. 139. Ad habendam nu. 8. ita ut quamvis Universtitas possit scholarem sic revertentem non agnoscere pro supposito suo, non possit tamen negari eum scholarem esse, propter insistentiam in studio literarum, quae insistentia, & non ipsa matricula seu intitulation, vel reintitulatio est per se idonea & sufficiens causa obtinendi dicti indulti perceptionis fructum in absentia ex causa studii in dicta Lovan. Univeritate.

5 Sed ad hanc subtilitatem, si forte talis videri poterit, hic Impetranti subsistendum non est; cui alia certiore indubitatioque consideratione & ratione succurritur: per hoc, quod haec illius etiam plus quam quinquennalis absentia ei nulla ratione nocere debeat, vel ad effectum dematricula- tionis seu periculum amittendorum privilegiorum scholaritatis, vel ad necessitatem novae reintitulationis, pro recuperando usu privilegiorum post tam longam absentiam: ob id nimirum, quod haec (quamvis quinquennali major) absentia non fuerit voluntaria, sed involuntaria; ideoque non

pro absentia, sed potius pro praesentia & residentia, juris interpretatione reputari debeat. Ut novum non est re ipsa vere non residentes ex iustis causis saepe pro residentibus haberi, c. Ex parte 2. & ibi gloss. in v. residenti, De clericis non resident. cum etiam generaliter, qui ex iusta aut licita causa abest, praesens & pro praesente habeatur, l. Quisquam in princ. De legat. 3. l. Seia §. Pamphile De fundo instructo, l. Si quis Titio D. Ex quib. caus. maior. Lud. Rom. cons. 263. Viso puncto: quippe absentiae magna causa contrariae voluntati necessitatem imponit, ut non possit dici voluntatem discedendi, aut non revertendi habuisse, qui sic compulsus necessitate discedit, & abest, nec statim revertitur. Qui enim factio impeditur est, quod minus adesse vel redire possit, praesens esse censetur, qualiscumque etiam sit absentia vel non revertendi corporalis necessitas, c. 1. De cler. non resident. hb. 6. Ioan. Bapt. Ferretus cons. 173. Quarta Canonica nu. 4. Atque hinc est, quod qui ob pestem in loco grassantem, aut aliam aeris intemperiem migrat, aut abest, pro residente habeatur, saltem a residentia excusetur, Andreas Barb. consil. 87. Viso puncto nu. 3. vol. 4. Et qui ob hostilitatem vel bellicam cladem locum deserit, & alio migrat, pro deserente aut migrante non habetur, quoad juris effectus. Ut de hostilitate, expulso, exilioque respondit Ioannes Calderinus, consil. 17. An canonici de praesen. etiam si sua culpa, modo non sit ad hoc specialiter ordinata, fuerit expulsus, Paul. Paris. consil. 32. Regulariter n. 19. vol. 4. Impossibile enim reputatur residere in loco ex hostilitate non tuto: ut proinde ex ea causa ad quemcumque juris effectum non debeat induci aliqua privatio aut conmodi alicujus amissio. Unde respondit Baldus, cam, quae ex hac causa fieret privationem, videri injussissimam & nullissimam, cons. 357. In iussiss. ma. vol. 2. Quamobrem statum de absentia quinquennali civiliter & non amare accipiendum est de scholari, qui sine periculo sui corporis residere potest, non etiam de illo, qui in tanta necessitate abest, Cardinalis in Clem. 1. quest. 12. De foro compet. & cum abest pro praesente habetur; & cum primum potest ad residentiam revertitur: ut est in causa proposito huius litis, in quo ex confessione Opponentium, & rei evidentia constat Impetrantem Lovaniam discessisse ob hostilitatem & omnem Collegii divisionem, & tantisper abfuisse quam Lovanii ex militari praesidio & hostilitate nihil fuit tutum, & inter arma studia filebant; & simulatque periculum cessare cepit, reversum fuisse, relicta semper Lovanii sua libraria suppellectile. Sic quod inde evidenter constet, Impetrantem numquam deposuisse animum revertendi; cuius praesumptio constitui non potest, ubi de contraria veritate constat, l. Optimam C. De contrah. stipul. atque ita extra omnem dubitationem videatur esse, quod Impetranti haec quinquennalis absentia nullo modo nocere debeat.

ADDITIO.

QVOD nuper pro excusanda absentia M. Guil. Bodart, respondimus, non obstante, quod illa toto quinquennio major fuerit, in dubium trahi intelligimus, ex eo, quod ex actis causae non constet, & ne quidem pro ipsius parte usquam allegatum sit,

fit, quod idem M. Guilielmus, vel debitam intelligentiam fecerit revertendi ad studia; vel de impedimento perdurante umquam congruo loco, aut tempore protestatus fuerit: * quam protestationem plerique putant necessariam esse cuicumque, ex quocumque vel suo probabili, vel alieno facto, aut ex casu impedito; ut ex protestatione deprehendatur animus, voluntas, & studium comparandi, si per impedimentum liceret; & omnia hac protestatione proclivius suboritur presumptio contrariæ voluntatis, hoc est voluntatis & animi omnino manendi & minimè revertendi; præsertim in tam longa quinquennij aut majore quinquennio absentia, quæ velut ex juris presumptione facit absentem pro emanfore, desertore & non reversuro haberi, l. Non omnes §. de barbaris l. Milites 2. §. fin. de re milit. & privilegia matriculæ amittere, l. ult. C. de advocat. divers. indic. Bartol. in l. Aut facta §. tempus de parau.

8 Sed cum nulla sit juris præsumptio, quæ contrariæ veritatis probatione non possit elevari & subverti, l. Optimam C. de contrab. stipulat. fit, ut adversus hanc præsumptionem animi non revertendi, & lapsi quinquennij admitti possit & debeat perdurantis voluntatis & animi revertendi probatio. Neque enim ullo jure prohibetur aut præcise tempore coercetur illius sive libertas, sive potestas, ex justa, necessaria, aut probabili causa. Unde est, quod jus postliminij, sine ulla præfinitione temporis, saltem maneat capto ab hostibus, quædiu revertendi ad suos animus manet, l. postliminij in fine de capt. & postlim. revers. Qui animus proclivius præsumitur in necessaria seu coacta absentia, & impedita revertendi potestate, qualem diximus & demonstravimus observari in hoc M. Guilielmi ab oppido Lovaniensi discessu, & tardiore illius reverfione, ex causa patente, manifesta, & notoria: ut neque discedendo de causa discessus protestari, seu formaliter protestatione sibi prospicere debuerit; neque non revertendo de perdurante impedimento aliquam protestationem facere. Nam quod de protestatione plerique adversus impedimenta requirunt, Dominicus in c. Ex transmissa de prescript. ex eleganti doctrina Felini non obtinet, quoties impedimentum est notorium, in d. c. Ex transmissa n. 6. & diligentia adversus illud sine effectu futura esset; ut est in discessu causato ob bellum vel reditu impedito ob non totum accessum, quamdiu bellum perdurare palam constat, ut satis sit, quocumque modo, & quidem aliter, quam per formalem protestationem constare de perdurante impedimento, & ex eo de evidente præsumptione non depositi, sed perdurantis animi revertendi: quod satis est ad commodum matriculæ retinendum, & dematriculationis periculum ex solo temporis cursu evitandum. Ita ut utilis quidem & ad majorem cautelam possit esse usus protestationis; sed tamen minimè necessarius, relin. in c. Ex transmissa nu. 7. Præpos. in c. fin. in gloss. 1. sub fin. vers. quando autem impedimentum de appellat. & sic in proposito sufficiat constare, quod perdurante impedimento ex casu fortuito, hoc est in proposito militari præsidio ex adversitate horum temporum præfaro M. Guilielmo justum fuerit impedimentum revertendi ad studia; & quod medio tem-

Conf. Wamel. Tom. II.

pore hujus suæ absentia, vitæ suæ genus non mutaverit, nec aliquam significationem fecerit studia seu Lovanium deserendi, nec pro vagabundo reputari potuerit, Baldus & alij in Auth. Habita C. Ne filius propriæ, Bart. in d. §. tempus. Sic quod nobis videatur hac ex parte nihil validè obijci posse M. Guilielmo ex longiore hac involuntaria sic causata absentia, vel ex defectu cujuscumque protestationis.

De Magistris.

SVMMA RIVM.

Literæ testimoniales studij.

CONSILIVM DLXIX.

Est repetitum supra conf. cxxv. ideoque hic omittimus.

De Magistris.

SVMMA RIVM.

Salarij ex labore docendi petitio.

1. 3. 6. Salario consueto præsumitur quæ ad officium assumptus, nisi aliud convenisse appareat.
2. Philosophus proprium est gratis facere.
4. Præceptorum salarium dandum pro modo eruditionis & facundia.
5. Geminata confessio fortissima.

CONSILIVM DLXX

V N I C V S est articulus, à quo dependet decisio utriusque causæ tam conventionalis, quam reconventionalis inter Dominum & Magistrum Ioannem Heems ab Armenteria Medicinæ Doctorum, Pædagogij Liliij Regentem; ac Magistrum Ioannem Six: nam etsi de multis utrumque sit disputatum, de paucis tamen est judicandum. Is autem est, an præfaro M. Ioanni pro honorario suo & labore docendi, quem in Pædagogio pro aliquo tempore sustinuit, solvi debeat pro more aliorum Pædagogorum; an vero secundum conventionem inter eum & dictum Regentem initam? In quâ quaestione non admodum laborandum videtur: nam quævis qui ad officium vel munus aliquod assumitur, intelligatur assumi & ipse suscipere, sub solito & consueto salario, Baldus in l. Excepto & in l. Licet in fine C. Locati, Iason in l. Ve liberis n. 10. C. de collat. Alex. consil. 206. Viso themate vol. 2. & secundum obtinentem consuetudinem, Bartol. in l. Magistratus ad municip. quasi tantum efficiat consuetudo, quantum expressum pactum, Gloss. ad l. Domini prædiorum C. de agricol. & cens. lib. 11. consueti tamen & soliti salarij aut consuetudinis nulla habetur ratio, quando in admissione aut susceptione de salarij modo & quantitate expressim conventum est. Ex conventionem enim contractus legem accipiunt, l. 1. §. si conveniat depositi, & conventio consuetudine potior est: quia pactum consuetudini derogat, & expressum facit cessare tacitum, l. 1. §. 1. si de vulg. & pupill. cum in certis nullus sit locus conjecturis, l. Continuum §. cum ita in fine de verb. obligat. Quod in alijs contractibus quoque observatur, ut mos regionis in quoquo genere contractus observari solitus tunc inspicitur, quando nulla lex vel conditio contractui contraria partiū consensu dicta est, d. l. Licet & ibi Bald. & Salicetus C. Locati nicol. Everar. Præses in loco ab usitato, sub fin.

Cum ergo per extracta ex libris rationum dicti Regentis descripta, & in hac causa exhibita, evidenter constet, quod certis conditionibus & conventionibus ad docendum assumptus fuerit præ-

FFF

fatus